culpa vacant. Secundo deſumitur ex neceſſitate nobiſmet vim inferendi, ac noſmet vincendi, ut ſalutem noſtram operemur: Matth. 11. *Regnum Cælorum vim patitur, & violenti rapiunt illud.* Tertio quia tenentur omnes Chriſtiani quaſdam exercere virtutes, & vitia quædam cohibere, nec non quibuſdam officiis perfungi; quod fieri nequit, niſi auſtera, & mortificata vita ducatur.

Pars altera: Conditiones requiſitæ in auſteritatibus, & mortificationibus ad hoc peccati corpus deſtruendum deſumuntur ex oppoſitione ad ea vitia, quibus ſumus maxime obnoxii. Hæ autem ſunt. Primo mortificationem eſſe debere univerſalem, & ſeſe ad omnes ſenſus extendere, quæ totidem ſunt valvæ, per quas peccatum in animam noſtram ingreditur. Secundo eſſe debere jugem, cupiditates enim renaſcuntur, & nunquam omnino deſtruuntur; quapropter a Sancto Paulo, & Patribus *corpus peccati* vocantur. Tertio, diſcreta tamen eſſe debet pœnitentia, congrua ætati, viribus, temperamento ſingulorum, ne volentes corpus ſubigere, illud prorſus deſtruamus; quod efficeret homicidam potius, quam mortificatum, atque pœnitentem.

Alia Sermonis delineatio. Quemadmodum Sanctus Paulus Fideles hortatur, ut exhibeant Corpus ſuum Hoſtiam viventem Deo in Sacrificio immolandam, oſtendere poſſumus per auſteritatem, atque mortificationem, quam in corpus noſtrum exercemus, fieri Sacrificium habens tres conditiones illius, quod Dei Filius obtulit corporis ſui in Euchariſtico Sacrificio. Primo Sacrificium eſt voluntarium: Libere hos rigores exercemus corpus noſtrum affligentes, ac nobiſmet ipſis interdicentes eas voluptates, & ſolatia, quibus interdictum non eſt, ſaltem in omne tempus, & ſemper. Secundo perpetuum eſt Sacrificium hanc habens rationem cum Euchariſtico, quod alterum hoc uſque ad ſæculorum finem eſt permanſurum, alterum vero uſque ad vitæ noſtræ terminum; quia hoc ſemper indigemus. Tertio Sacrificium eſt viſibile; quæ una eſt ex conditionibus, quas habere debet Chriſtianæ Religionis Sacrificium, quod non ſolum debet eſſe interius, verum etiam viſibile. Tale eſſe oportet hominis Chriſtiani Sacrificium, qui non ſolum Chriſtianus eſſe debet intrinſecus, ſed talem ſe profiteri extrinſecus debet, ut admittatur in Electorum numero, & notetur charactere eorum, quos prædeſtinavit Deus, ut ſint in æternum beati.

Conſule Tom. III. Bibliotheca Moral. Evangel. Titulo: MORTIFICATIO.

VI. REPROBATIONIS SIGNUM.

Vita mollis, & voluptuaria.

XIV. SERMO. SALUTEM noſtram operari non poſſumus in molli, atque inerti vita, quam ducunt mundi aſſeclæ, & hæc vita propria eſt vita Reprobi, quia triplici de cauſſa nequaquam dici poteſt Chriſtiana. Primo, quia non eſt Evangelio conformis; Secundo, quia non eſt ſimilis vitæ Salvatoris; Tertio, quia non eſt medium, per quod ad ſupremam pervenire poſſimus felicitatem, quæ finis eſt, propter quem creati ſumus.

Pars Prima: Patet vitam mollem, quam plerique in ſæculo vivunt non eſſe conformem legibus, & placitis Evangelicis, quæ ſunt regula vitæ noſtræ. Evangelium enim loquitur ſolum de crucibus, abrenunciatione ſui, auſteritate, & mortificatione, ſecundum illa Filii Dei verba; Matth. 16. Luc. 14. Luc. 6. *Qui vult venire poſt me, abneget ſemetipſum. Qui non bajulat crucem ſuam, non poteſt meus eſſe diſcipulus. Væ vobis, qui ridetis.*

Pars altera: Neque minus liquet, vitam mollem, quam ducunt plerique ſummorum virorum, qui nitent in mundo, nullam habere conformitatem cum vita, quam duxit Salvator in terra, & quæ nihilominus nobis eſſe debet exemplo: ad Rom. 8. *Quos ſcivit, & prædeſtinavit conformes fieri imagini filii ſui.*

Tertia pars: Conſtat etiam vitam mollem, atque inertem nullam habere rationem cum fine, quem Deus nobis deſtinavit, Cælum videlicet, æternamque felicitatem.

Alia delineatio, qua oſtendere poſſumus: Primum in Chriſtianiſmo neminem ſalvari poſſe, niſi per arctam viam, quæ ducit ad vitam. Secundo vitam mollem vere latam eſſe viam, per quam plurimi incedunt; quandoquidem conſtat longe plures in omnibus ſtatibus, omnibuſque conditionibus ita vivere, quam ſint, qui aperte liberiorem vitam profitentur, & palam ſe mancipant iniquitati.

Vide in Tomo III. Bibliotheca Mor. Evang. Titulum: MOLLITIES.

VIII. PRÆDESTINATIONIS SIGNUM.

Perſeverantia in bono, & virtute.

XV. SERMO. UT hunc ordinem ſequamur, oſtendere poſſumus perſeverantiam in bono, & cultu Dei uſque ad finem ſolum eſſe ſignum prædeſtinationis, in quo ſpes aliqua ſit habenda; quoniam tribus innititur rebus, quibus falli non poſſumus; Quarum prima eſt promiſſio Dei, qui ſolemniter hoc ſe facturum recepit; Altera eſt conſtans, & uniformis ratio, quam ſervat Deus in ſalute juſtorum; Tertia eſt æquitas Judicis, qui ut Sanctus Paulus teſtatur reddit juſtitiæ coronam illis, qui fideliter ipſi deſervierint.

Pro parte prima, oſtendere oportet prædeſtinationem ad gloriam adhærere perſeverantiæ in bono. Hæc igitur certiſſima nota eſt, in qua Dei verbum, atque promiſſio palam elucent. *Qui perſeveraverit uſque in finem; hic ſalvus erit.* Matth. 10.

Pro parte altera. Ratio ſecunda, cui hæc innititur ſalutis certitudo ratio eſt, quam Deus ſemper in magno hoc negotio ſervavit; quæ eſt nunquam negandi finalem perſeverantiam illis, qui conſtanter in illius ſervitute perſeveraverunt.

Pro tertia Parte. Ratio tertia quæ hoc prædeſtinationis ſignum præ ceteris certiſſimum reddit, deſumitur ex Dei ejuſdem juſtitia, qui non tribuit hominibus juſtam laborum mercedem niſi poſt vitæ finem; videlicet, poſtquam in famulatu ſuo ad mortem uſque perſeveraverunt.

Alia Sermonis ſtructura ad quam exornandam, oſtendere poſſumus; Primum, perſeverantiam tribuere pretium omnibus virtutibus, quæ alioquin nullo ſunt in diſcrimine coram Deo, & coram hominibus. Secundo ita ſolam perſeverantiam facere Sanctos, eoſque diſtinguere a reprobis, quia utrique ſæpe eadem bona opera factitarunt, ſed illi tantum qui perſeveraverunt Sancti ſunt, & prædeſtinati.

Vide in Tomo III. Bibliotheca Mor. Evang. Titulum: PERSEVERANTIA.

VII. REPROBATIONIS SIGNUM.

Inconſtantia in bono, & frequens in peccatum recidiva.

XVI. SERMO. PRO Sermonis argumento oſtendere poſſumus ſalutem hominis ſæpe in gravia, & lethalia peccata relabentis moraliter eſſe impoſſibilem ex parte peccatoris, & admodum infrequentem ex parte Dei, cujus patientia fatigatur, & qui tandem peccantem derelinquit.

Pars prima. Salus ſit velut impoſſibilis ex parte peccatoris, quem nihil poteſt convertere poſt iteratos lapſus. Secundo quia inde proficiſcitur, quod gratiæ validiſſimæ carent eodem effectu, ideoque illi inutiles fiunt.

Pars altera. Salus peccatoris toties relapſi non minus rara eſt ex parte Dei, toties recedentis a relabente, quoties ab illo peccator per iteratos lapſus recedit. Primum quia Cæleſtes gratiæ, & vi, & numero decreſcunt, & in ſingulos lapſus infirmiores evadunt. Secundo, quia poſtquam peccator toties contempſit Deum, Deus viciſſim peccantem contemnit. Tertio, quia quemadmodum peccator per frequentes lapſus factus eſt ingratus, proditor, & perfidus; Deus non fovet ultra erga illum hos ſenſus benevolentiæ, & miſerationis, quos alit erga reliquos peccatores. Hinc inferri poteſt; ſin minus ſalus peccatoris relapſi abſolute impoſſibilis eſt, moraliter eſſe, niſi omnes exerat conatus, & vires, ut ex corde revertatur ad Deum.

Alia ſermonis ſtructura. Inconſtantia in bono, & frequens in crimen relapſus apertum eſt ſignum, & moraliter certum reprobationis peccatoris relabentis. Primum, quia inde colligitur animam mortuam eſſe gratiæ, quæ nullo afficitur ſenſu eorum, quæ eamdem in vitam poſſent revocare, videlicet divinarum illuſtrationum, Verbi Dei, æternarumque Veritatum. Secundo, quia inconſtantia, atque lapſus iterati oſtendunt animam a Deo derelictam, in ſcelere induratam, ſine metu divinæ Juſtitiæ, ſine ſtimulis conſcientiæ, & ea gaudentem tranquillitate, quæ jure mortalis lethargia dici poteſt. Tertio, quia indicant animam dæmoni traditam, qui illius adit poſſeſſionem, eamque tuetur, & prohibet, ne ex manibus ſuis elabatur. *Aſſumit ſeptem Spiritus nequiores ſe, & fiunt noviſſima hominis illius pejora prioribus.* Itaque hæc eſt inchoata reprobatio, quia tria illa complectitur, quæ eamdem perficiunt, videlicet ſtatum mortis gratiæ; ſtatum derelictionis Dei; ſtatum captivitatis ſub poteſtate, ac tyrannide diaboli.

Vide To. IV. Bibliotheca Mor. Evang. Titulo: RECIDIVA.

IX. PRÆDESTINATIONIS SIGNUM.

Continentia, & vita pudicitia.

XVII. SERMO. IN Scripturis invenio tres ineſſe corporibus noſtris qualitates, quæ nos cogunt illa tueri immunia ab omni labe

labe impudicitiæ, & quæ ſunt moralis certitudo noſtræ prædeſtinationis.

Primum vocantur membra JESU CHRISTI, ideoque in partem accedere debent puritatis Corporis ſui; alioquin hoc eſſet in ſe convertere probrum illud Sancti Pauli adverſus eos, qui ſeſe immergunt in ſordibus voluptatis. 2. Cor. 6. *Tollens ergo membrum* CHRISTI, *faciam membra meretricis.* Secundo ſunt Templum Spiritus ſancti, cui per Baptiſmum, aliaque Sacramenta conſecrata ſunt, & quibus non minor debetur reverentia, quam materialibus Templis, ſi vitam ducere volumus prædeſtinatorum. Tertio conjuncta ſunt puro, & Virginali Corpori JESU CHRISTI realiter præſenti in Euchariſtico Sacramento, unde fit, ut a nonnullis Sanctis Patribus Continentes vocentur *Corporei* CHRISTI. Ex quibus rationibus ſequitur, quod continentem, puramque vitam ducere eſt quædam prælibatio vitæ, quam in Cælo ducunt Beati, & quæ ideo ſignum eſt prædeſtinationis, vel ut apertius loquamur, moralis eſt certitudo noſtræ Salutis æternæ.

Alia ſermonis forma. Pro Sermonis argumento deſumi poteſt, continentiam, vitamque puram eſſe unum ex certiſſimis ſignis noſtræ prædeſtinationis. Primo quia nos Deo reddit acceptos, qui cum ſit puritas ipſa virtutem hanc ſingulari amore proſequitur. Secundo quia in nobis cum JESU CHRISTO quandam conſtituit affinitatem per ſimilitudinem, quam habemus cum Deo, qui ſummus eſt virtutis hujus prototypus. Tertio quia noſtram conſtituit in hac, & in altera vita felicitatem per immunitatem magis, minuſve integram, prout hæc virtus magis, vel minus eſt perfecta a miſeriis, ſervitute, & mundi hujus curis, & per ſpem felicitatis, quæ nos manet in altera, quod proprie loquendo præcox eſt beatitudo, ideoque ſignum noſtræ prædeſtinationis. Matth. 6. Sap. 6. *Beati mundo corde: quoniam ipſi Deum videbunt. Incorruptio facit proximum eſſe Deo.*

Vide To. III. Bibliotheca Mor. Evang. Titulo: CONTINENTIA.

VIII. REPROBATIONIS SIGNUM.

Impudicitia.

XVIII. SERMO. OSTENDERE poſſumus homines, qui ſeſe impudicitiæ flagitiis mancipant, reprobationis Signo connotari triplici ex cauſſa. Primo quia tenebræ in omnes eorum vias effuſæ tantam illis gignunt cæcitatem, ut non liceat ipſis videre pericula, quibus ſeſe objiciunt; magnitudinem criminum ſuorum, & mala, in quæ infamis hæc cupiditas agit præcipites. Secundo quia proclivitas, qua feruntur ad nequiſſima quævis crimina perpetranda, omni fere caret medicina, & moraliter impoſſibile eſt, ut ex cæno, in quo volutantur, emergant. Tertio quia ſupplicia, quibus conſuevit Deus hoc punire crimen in hac ipſa vita, eſt veluti initium ſuppliciorum, quæ illi reſervat in altera.

Alia Sermonis delineatio. Facile eſt oſtendere, homines, qui ſeſe huic addiderunt impudicitiæ, neque aliud habent objectum, niſi infames hujuſmodi obſcœnitates, eſſe in via reprobationis duplici ex cauſſa. Primum, quia impudicus, qui totus eſt in crimino ſa, & infami harum voluptatum perquiſitione, illic ſtatim invenit ſuam calamitatem, per tumultum, infamiam, & amaritudinem, quam in illis nanciſcitur. Secundo, quia impudicus ſibi conflat æternum excidium; quoniam hic apertiſſimus eſt character, quem habere valeat ſuæ reprobationis.

Vide To. III. Bibliotheca Mor. Evang. Titulo: IMPUDICITIA.

X. PRÆDESTINATIONIS SIGNUM.

Vocatio ad vitæ ſtatum, in quo liceat cum libertate, & facilitate ſervire Deo.

XIX. SERMO. IN hac prædeſtinationis nota non agimus de vocatione ad fidem, & Chriſtianam Religionem, veluti cum ſermo fit de vocatione Gentilium; neque de vocatione ad ſtatum Eccleſiaſticum, & Religioſum: ſed agimus de vitæ ſtatu, quem unuſquiſque debet amplecti. Cumque ſtatus hujus electio ferenda non ſit, niſi poſt cognitam Dei voluntatem, a quo ad hunc vel alium vitæ ſtatum vocamur; conſtat ipſum plerumque nobis indigitare tutiorem ſtatum, ubi ſalutem noſtram operemur, quem cum amplectimur facilius illi famulamur, ideoque in via prædeſtinatorum incedimus.

Ut Sermonem hunc exornemus, oſtendere poſſumus, primum eum qui vitæ ſtatum non amplectitur, niſi conſulto Deo, non autem ex libidine, & mentis affectu, eſſe in vera ſalutis via. Secundo illum diligenter obeuntem hujus vocationis officia, eo ſalutis ſuæ certiorem eſſe, quo magis per ſingulos fere gradus ſequitur Spiritum Dei, a quo ducitur. Tertio illum ad finem uſque in hac vocatione perſeverantem, certe ad gloriam, æternamque beatitudinem eſſe prædeſtinatum.

Alia delineatio. Oſtendere licet etiam hoc verum eſſe prædeſtinationis Signum, cum Deo conſulto antequam vitæ ſtatum amplectamur, primum conſideramus nos a Deo ſtatum hunc obtinuiſſe, ac in eo nos ſecutos eſſe ordinem nobis a divina illius Providentia conſtitutum. Secundo, cum illum non exercemus niſi de Mandato Dei ipſius, eique rationem reddituri. Tertio cum ſtatui huic conformamus vitam, mores, & actiones noſtras; in hoc enim ſita eſt ſanctitas, & omnis perfectio, quam Deus expectat a ſingulis, ut illos Regni ſui hæredes conſtituat.

Videri poteſt To. IV. Biblioth. Mor. Evang. Titulo: VOCATIO.

IX. REPROBATIONIS SIGNUM.

Se immiſcere in ſtatum Saluti periculoſum.

XX. SERMO. EX variis rationibus, quibus homines ſeſe objiciunt divinis conſiliis de ſe, vulgatior, & quæ funeſtiores exitus habet, proculdubio eſt hæc fere generalis contradictio, quam homines plerumque afferunt gratiæ vocationis, per quam illos evocat Deus ad vitæ ſtatum ſaluti ſuæ maxime periculoſum. Ubi oſtendere poſſumus, eos, qui ſeſe implicant in hujus vitæ ſtatum contra Dei voluntatem, propter ambitionem, avaritiam, aliaſve humanas rationes, manifeſtum ſubire periculum pereundi. Primum, quia pericula, quibus in hoc ſtatu objiciuntur, ſunt fere inſuperabilia; & ipſi illis frequentiſſime cedunt. Secundo, quia cum Deus illos nequaquam vocaverit, non tribuit illis niſi ſufficientes gratias, ut ſuſceptum munus adimpleant, eiſque denegat peculiares, quas iis largitur, qui ſuæ obediunt voluntati. Tertio, quia cum careant his peculiaribus Dei ſubſidiis, incidunt in crimina, ex quibus emergere nequeunt, & quæ tandem illorum gignunt Reprobationem.

Alia Sermonis adumbratio. Arduum eſt recenſere mala, quæ ex prava ſtatus vitæ electione proficiſcuntur. Tria tamen generalia poſſunt afferri. Primum, dolor quo toto vitæ ſuæ tempore torquebitur, qui in electione hac deerraverit; Faſtidia, ac tumultus, qui inde avelli nequeunt. Secundo numerus ingens ſcelerum, quæ perpetrantur ſive per ambitionem, ſive per errorem, vel ignorantiam. Tertio evidens ſalutis periculum, cui ſeſe objicit; periculum adeo terribile, ut moraliter fieri nequeat, ut ſalutem ſuam in hoc ſtatu operetur.

Ad Sermonem hunc exornandum conſuli poteſt To. IV. Bibliotheca ejuſd. Titulo: VOCATIO.

XI. PRÆDESTINATIONIS SIGNUM.

Vita præclare inſtituta.

XXI. SERMO. VITÆ præclare inſtitutæ nomine, non intelligimus ſolum exemplarem probitatem, vitam moraliter bonam, qualem plures Ethnici ducunt Philoſophi, & nonnulli etiam Chriſtiani, qui putant ſe ſalvari poſſe, ſi agitur ſolum de hominis honeſtate; ſed hoc verbo intelligimus quamdam vitæ rationem, vel quemdam ordinem, quem Chriſtianus ſibi præſcribere debet, ſi velit Salutem ſuam operari.

Ut hanc igitur rationem ſequamur oſtendere poſſumus: Primum, cum uniformem, & regularem ducere vitam in actionibus communibus, & quotidianis, quales illæ ſunt, quæ in civili ſocietate exercentur, ſit acceptius Deo, quam in ſublimiori ſtatu inſigniores actiones operari; ita hoc tutius eſſe medium ad ſalutem ſuam operandam. Secundo cum Deo noſtra vivendi ratio placeat, cum ſequimur vitam regularem eo in ſtatu, ad quem nos evocavit, & cum in eo conſtanter perſeveramus, nos tunc tuto in prædeſtinatorum via ambulare.

Alia Sermonis ſtructura. Oſtendere poſſumus, ſicuti tota Sanctitas, & Chriſtianæ vitæ perfectio in eo ſita eſt, ut malum quidem evitemus, bonum vero faciamus, ſecundum Prophetam, *Declina a malo, & fac bonum*: ita vitam Pſalm. 16. uniformem ducere, eſſe primum evitare malum; quia hæc agendi ratio oppoſita eſt naturali propenſioni noſtræ, qua trahimur in negligentiam, quæ efficit, ut male noſtris fungamur officiis, & inertiam, quæ præſtat, ut omittamus ea, quæ in noſtro Chriſtianiſmi munere ſunt maxime neceſſaria. Secundo hoc eſt etiam facere bonum, & illud facere eo modo, quo faciendum eſt ſecundum Dei voluntatem, ſecundum ordinem Providentiæ ſuæ, & hoc medio omnes actiones noſtras in totidem virtutum actus convertere, quæ vera eſt nota prædeſtinationis.

Videri poteſt To. IV. Bibliotheca ejuſd. Titulo: REGULARITAS.

X. REPROBATIONIS SIGNUM.

Vita irregularis in vitiis tranſacta, in mentis evagatione, otioſitate, & ſæculi impedimentis.

ARDUUM eſt proprio nomine indigitare quid ſit hæc vita irregularis, hæc mentis diſſipatio, in quo ſita ſit, cuinam virtuti adverſetur, & ad quam peccati ſpeciem referatur. Tamen, ut videtur, poſſumus afferere illam virtutibus omnibus eſſe oppoſitam, & omnia peccatorum genera complecti, quia ibi nihil fit ſecundum ordinem, tempus, ac modum, quo agendum eſt, ut agatur ſicuti decet verum Fidelem, qui ſalutem ſuam ſtudeat operari.

Secundum hunc ſenſum dicere poſſumus, vitam hanc irregularem, & mentis evagationem parere in nobis, primum integram oblivionem Dei, veritatum æternarum, & rerum ad vitam alteram ſpectantium; cùm interea vitam tranſigamus, vel inter ſæculi impedimenta, vel in iis faciendis, quæ facienda non ſunt, vel in omnibus actionibus noſtris male peragendis. Secundo efficiendo, ut perperam fungamur noſtri ſtatus officiis, & ut negligamus ea, quæ ſunt ſtatus noſtri, & tædio afficiamur verbi Dei, lectionis optimorum librorum; verbo, omnium piarum exercitationum, propter nimium amorem, quo deperimus ſæcularia negotia, atque ſolatia. Tertio ita nos objiciunt omnibus periculis, & laqueis, qui in mundo inveniuntur, ex defectu attentionis, in faciendis omnibus actionibus ſecundum ordinem, qui decet Fidelem; ideoque nos in via reprobationis conſtituunt.

Alia ſermonis adumbratio. Vita irregularis, diſſipata, & otioſa, quam ducunt mundi ſectatores, tres pravas habet qualitates. Primo fidem, ſi minus prorſus extinguit, languentem efficit; namque in hac mentis evagatione in exteriora, ac ſenſibilia, non attollit fere oculos, & cogitationes in Cælum. Secundo efficit, ut Caritas, & Amor Dei intepeſcat, & cor rebus creatis inhæreat. Tertio modicam oſtendit ſpem bonorum alterius vitæ, cum de perituris tantum hujus vitæ bonis ſolliciti ſimus.

XII. PRÆDESTINATIONIS SIGNUM.

Frequentia deſideria, & adſpirationes in Cælum, conſiderando vitam hanc veluti peregrinationem.

XXIII. Sermo. SERMONEM hunc inſtituturi oſtendere poſſumus, frequentia ſuſpiria, quæ Juſti in Cælum ejaculantur, verum eſſe prædeſtinationis Signum triplici ex cauſſa. Primo, quia mortales iſti divino Spiritu pleni amant veritatem, quæ raro in hoc mundo invenitur, & quam ſibi perſuadent, ſe non niſi in Deo eſſe inventuros. Secundo, quia diligunt, & inquirunt pacem in rebus omnibus, quantum in ſe eſt, & qua perfrui omnino nonniſi in gloriæ ſuæ habitaculo, ſibi videntur. Tertio, quia corpus peccati, quod partem noſtri conſtituit, conantes evertere, ac illud ſpiritui ſubjicere ſtudentes, hoc pacto oſtendunt omnem ſpem ſuam in altera vita poſitam eſſe, quo omnia deſideria ſua jugiter tendunt.

Alia ſermonis adumbratio. Juſtorum vita ſuper terram conſiderari poteſt etiam tamquam verum Signum prædeſtinationis duplici ex cauſſa. Primo, quia ſemet conſiderantes tamquam advenas, & alienigenas in terra, ſemper viæ ſuæ terminum proſpiciunt, & inceſſanter ad illum anhelant. Secundo, quia veram ingrediuntur viam, quæ ducit ad hunc beatum finem, conformantes omnes actiones, cogitationes, & deſideria ſua ſecundum Dei voluntatem, qui illis ſupremam præparat beatitudinem.

Vide To. I. Bibliotheca Mor. Evang. Titulo: BEATITUDO.

XI. REPROBATIONIS SIGNUM.

Senſus Carentia in Cæleſtibus.

XXIV. Sermo. QUAMVIS omnis homo naturaliter, & quodammodo neceſſario ſe felicem eſſe cupiat; tamen ſibimet contradicere videtur, quandoquidem viam ingreditur æternæ ſuæ felicitati maxime oppoſitam. Ubi oſtendere poſſumus. Primo exceſſum ſtuporis hujus erga Cæleſtia, proficiſci ab inſana terrenarum rerum adhæſione. Secundo malum, quod illam conſequitur, eamque certiſſime ad æternam damnationem adducit.

Alia Sermonis partitio. Oſtendi poſſunt etiam cauſſæ, quæ admirabilem hanc ſenſus carentiam gignunt in homine erga divina; eamque oriri primum, vel ab ignorantia, quam parit mortalis ſopor humani cordis penitus devoti rerum ſæcularium amori; vel ſecundo ex contemptu rerum divinarum ſemel cognitarum ob modicam fidem, quam habet iis, quæ ſuperant omnia ejuſdem conſilia, & quæ in illo adeo deplorabilem pariunt cæcitatem: *Animalis homo non percipit ea, quæ Dei ſunt.* 1. Cor. 2.

Videri poteſt in Tomo I. Bibliotheca Mor. Evang. Titulus: BEATITUDO.

XIII. PRÆDESTINATIONIS SIGNUM.

Devotio erga Beatiſſimam Virginem.

PRÆSUPPONENTES hic tantum cum Angelico Doctore inter actus voluntatis Dei, qui noſtram prædeſtinationem reſpiciunt, tres eſſe potiſſimum, qui ceteros complecti videntur; videlicet primum, ſingularem amorem, quo Deus ab æterno proſequitur nonnullos, & quo illos ſecrevit ab aliorum multitudine, ſine alia hujus amoris cauſſa præter bonam, quam erga illos habuit, voluntatem; quam Theologi prædilectionem vocant, amorem electionis, & prælationis, quo fit, ut vulgo Electi, ac Prædeſtinati dicantur: Secundo, præparationem mediorum, quæ ſunt gratiæ ad illos certiſſime ad beatum hunc finem perducendos, ſecundum illa Sancti Auguſtini verba, qui in hoc conſtituere videtur omnem prædeſtinationis ordinem, quamvis nonniſi pars ſit ejuſdem; *Præparatio beneficiorum, quibus certiſſime liberantur, quicumque liberantur*: Tertio illis finalem perſeverantiam, quæ quodammodo cumulum addit æternæ huic felicitati. Si autem univerſa noſtræ prædeſtinationis œconomia ad hæc tria refertur, ubi illam ſolum ex Dei parte intueamur; oſtendere poſſumus: Primo ſingularem hunc amorem, & prædilectionem, quam habet Deus erga nonnullos ab æterno, reſpicere potiſſimum Sanctiſſimæ Virginis famulos. Secundo ipſam eamdem Beatiſſimam Virginem, tamquam omnium bonorum Filii ſui diſpenſatricem, illis procurare efficientiſſima, ac certiſſima ſalutis media. Tertio optimis, ſolidiſque rationibus probari poteſt, eamdem illis impetrare finalis perſeverantiæ gratiam per protectionem, & auxilium, quod ipſis in mortis articulo præſtat. Quod locum præbet arguendi, devotionem erga glorioſam Dei Matrem notam eſſe prædeſtinationis. XXV. Sermo.

Alia ſermonis delineatio. Exiſtimandum non eſt cum Sancta Virgo reliquerit terram Cæli poſſeſſionem aditura, nihil illi cum nobis eſſe commune, nihilque nobis ab illius bonitate eſſe expectandum. Illic enim majori ſollicitudine Salutis noſtræ negotium procurat, cauſſam noſtram tuetur, ac ad Supremi Judicis tribunal defendit. Quamobrem arduum non erit mihi probare, primum, cum validiſſima ſit protectio, quam ſibi expectare debent, qui Beatiſſimæ Virgini famulantur, hanc illam eſſe, quam ſibi certiſſime poſſunt polliceri, eamdem pro virili imitantes. Secundo illos conatus ſuos exerentes ad protectionem hanc promerendam per confidentiam ſuam, preces, ac zelum in ipſius ſervitute; tuto jam in prædeſtinatorum via ambulare.

Oſtendi etiam poteſt tamquam duodecimum Reprobationis ſignum, ratione prorſus oppoſita, illos, qui negligunt Cultum Deiparæ Virginis, & qui eamdem contemnunt; hunc reſpicere tamquam inutilem, vel contumelioſum divinæ Majeſtati; atque ex hoc capite præpollenti ejuſdem protectione deſtitutos adducere ſalutem ſuam in diſcrimen, ac ſemet objicere malo eidem, cui Iſraelitæ illi, qui in deſerto pertæſi Manna, perperam clamabant, *nauſeat anima noſtra ſuper cibum iſtum.* Num. 21.
Utque cogitatio noſtra clarius eluceat, nemo eſt qui neſciat, Hæreticos omnes, qui bellum indixerunt Eccleſiæ ſæculis omnibus, omnes initium duxiſſe ex oblatione Cultus Sanctæ Virginis; alii quidem negantes illi Dei Maternitatem, alii Virginis titulum auferentes, & plurimi clamantes, hoc eſſe, derogare Majeſtati Filii ad Matrem confugere, & his omnibus prætexentes zelum gloriæ Dei, apud quem dicebant, unum eſſe nobis Advocatum, videlicet JESUM CHRISTUM. Sed hujuſmodi mortales, qui ſemet privant patrocicio Matris erga Filium, minime cogitant, ſibi lædentibus hanc Miſericordiæ Matrem, quo nomine illam vocat Eccleſia, omnia eſſe metuenda a Filii ejuſdem juſtitia, quippe qui ſibimet ſimul auferunt ſpem extremam Salutis ſuæ.

Finis Tabulæ Secundæ.